

particulari desuper habitæ non posse, nec expedire Decretum, seu regulam generalem præscribere ob diversas rationes, et circumstantias, quæ in unoquoque loco intercedunt; sed quod in casibus particularibus provideatur insimul per utramque Sac. Congr. scilicet Immunitatis, et Boni Regiminis; eadem Sac. Congr. Immunit. die 21 Julii 1699. lib. *Decret. Martelli* pag. 499.

(5. Sac. Congr. ex remissione Sanctissimi pluries auditis Ecclesiasticis et Appaltatoribus Veliternis quoad expensas factas pro aperitione Furni Ecclesiasticorum, censuit, quod prævia solutione scutorum quinquaginta, et facta obligatione per Appaltatores de solvendo insuper quidquid fuerit iudicatum, nec non soluto pretio Frumenti Ecclesiasticorum ad rationem Juliorum quinquaginta trium pro quolibet rubio, quod pretium pro medietate solvatur in consignatione Frumenti et alia medietas per totum Februarium immediate proximum, claudatur Furnus Ecclesiasticorum. In futurum vero, servatis litteris Sac. Congr. Boni Regiminis quoad interpellationem, declaravit taxari pretium Frumenti Ecclesiasticorum ad rationem taxæ, ut dicitur *dello spiano*, alias licere Ecclesiasticis aperire Furnum. Omnia approbavit Sanctissimus, et mandavit publicari hujusmodi Decretum; ead. Sac. Congr. Immunit. in Veliterna 29. Dec. 1674. lib. 1. *Decr. Alt.* pag. 1048.

(6. Licet Episcopo uti libertate aperiendi Furnum quando Appaltator panis vendibilis recusat emere frumentum mensæ Episcopalis juxta ordines Sac. Congr. Boni Regiminis; eadem Sac. Congr. Immunit. in Tudertina 9. Decembris 1679. lib. 2. *Decr. Altov.* p. 1891.

(7. Episcopus claudat Furnum, dummodo Appaltator se obliget emere frumenta suæ mensæ Episcopalis in pretio et quantitate declaranda a Sac. Congreg. Eadem Sac. Congr. Immunit. in Aquipendii 9 Febr. 1604. lib. 1. *Decr. Vallem.* p. 104.

(8. At quia concordare non potuit super quantitate, et pretio, ideo Sac. Congreg. a decisio recessit, et declaravit, licere Episcopo aperire Furnum: ead. Sac. Congr. Immunit. in eadem 7. Apr. d. anni et lib. p. 115.

(9. Item Episcopo Faventino licet aperire Furnum nisi Appaltator intra 15 dies offerat se empturum Frumenta Mensæ Episcopalis pretio currenti cum augmento vigesimæ; ead. Sac. Congr. Immunit. in Faventina 20 Martii 1695. d. l. pag. 187.

(10. Idem licet Episcopo Camerineni nisi intra 15. dies Communitas se offerat cum effectu emere frumentum collectum in tota Diocesi cum augmento vigesimæ, ut in prædicta Faventina; ead. Sac. Congr. Immunit. in Camerineni. 12 Januar. 1709. lib. 2. *Decr. Vallem.* p. 265.

(11. Sic licet Em. Commendatario aperire Furnum, facta tamen declaratione in principio mensis Octobris quantitatis frumenti, ut dicitur *di spianare*. Et quatenus Em. Abbas non deveniat ad declarationem, servetur Decretum in Faventina: ead. Sac. Cong.

Immunit. in Assisien. 1. Octob. 1703. lib. 3. *Decr. Vallem.* pag. 523.

(12. Licet Em. Cardinali *fure spianare*, ut dicitur, in proprio Furno Frumentum collectum in bonis Patrimonialibus, et Beneficiorum, attento, quod Abundantiarii recusent emere frumentum ipsis exhibitum debitis temporibus; ead. Sacra Congreg. Immunit. in Cesenaten. 18 Octobris 1681. lib. 2. *Decr. Altov.* pag. 2275.

(13. Quando Priores communitatis præsumunt impedire Episcopum in sua libertate aperiendi Furnum, recusantibus ipsis emere Frumentum Mensæ Episcopalis Sac. Cong. rescripsit: Detur Decret. in Faventina sub die 20 Martii 1695. secundum quod Episcopus se gerat, eadem Sacra Congreg. Immunit. in Faventina 24 Octobris 1699. lib. 2. *Decr. Vallem.* pag. 252.

(14. Licet Ecclesiasticis, qui recipiunt Franchitias farinæ in cartella, retinere furnum pro usu proprio: ead. Sac. Congr. Immunit. in Melphitana 13. Maii 1692. lib. *Decr. Grimaldi* pag. 129.

(15. Non licet Gubernatori visitare Furnos Ecclesiasticorum: ead. Sac. Congr. Immunit. in Urbeveta 9 Novemb. 1695. lib. 1. *Decr. Vallem.* p. 227.

(16. Ecclesiastici coquentes panem in Furno publico Baronis, in quo solvunt omnes onus Furnatici, quatenus voluntarie utantur tali Furno, tenentur ad solutionem dicti oneris; eadem Sac. Congr. Immunit. in Larinen. 28 Sept. 1694. lib. 1. *Decr. Vallem.* pag. 148.

(17. Communistæ, qui destruxerunt Furnos Ecclesiasticorum, absolventur quatenus supplicent, et reedificent Furnos destructos; eadem Sac. Congr. Immunit. Brundusina 1 Novemb. 1682. lib. 2. *Decr. Altov.* pag. 2279.

(18. Furni intra Claustra Regularium existentes, pro ipsorum usu tantum inservire debent: eadem Sac. Congr. Immunit. in Neapolitana 4 Decembr. 1628. lib. 1. *Decr. Paul.* pag. 115.

(19. Et non possunt a Laicis impediri, ne ædificentur: ead. Sacra Congr. Immunit. in Barren. 28 Junii 1704. lib. 3. *Decr. Vallem.* p. 590.

(20. Nuncius provideat circa Furnos Regularium Neapolis, ut illis utantur tantum pro eorum usu: ead. Sac. Congr. Immunit. in Neapolitana 2 Decembr. 1681. lib. *Decr. Altov.* p. 2292.

(21. Eadem Facultas circa Furnos Ecclesiasticorum Neapolis conceditur Archiepiscopo; eadem Sac. Congr. Immunit. in ead. 27 Januarii 1682. lib. 3. *Decr. Alt.* p. 3.

(22. Quando Regulares et Moniales vendunt fraudulenter panem coctum in propriis Furnis, in præjudicium Communitatis, Archiepiscopus procedat pro sua prudentia cum facultatibus Sac. Congreg. ne sequantur fraudes sub pœnis gravibus, et quoad Regular. etiam privationis vocis activæ, et passivæ, non tamen Censurarum; ead. Sac. Congr. Immunit. in Panormitana 25 Maii 1685. lib. 3. *Decr. Altov.* pag. 446.

(23. Ad evitandos abusus Furnorum Ecclesiasticorum in locis immunibus, necnon,

ut confugiti non inserviant Furnis positus intra Claustra, ut plurimum habentibus januas correspondentes in viis publicis, et tandem ad evitandas fraudes in præjudicium Annonæ Civitatis Neapolitanæ, et ad Instantiam Electorum d. Civitatis: Sac. Congr. decrevit, licere Ecclesiasticis, vel retinere proprios Furnos intra Claustra inserviendos, et

FUR, FURTUM.

SUMMARIUM.

1 ad 6. Fur et latro. — 7. Furtum unde dicatur. — 8. Furtum quid sit. — 9. Furti species ordinarie assignantur quinque. — 10. Furtum simplex quid sit. — 11. Sacrilegium quid sit. — 12. Plagiatus quid sit. — 13. Peculatus quid sit. — 14. Ambigeatus quid sit. ad n. 15. — 16. Addunt aliqui Rapinam. — 17. Rapina quid sit. — 18. Furtum et Rapina ex genere suo est peccatum mortale. — 19. Affertur et solvitur Instantia. — 20 ad 24. De gravitate materiæ. — 25. Furtum potest esse grave peccatum in pluribus casibus, etiamsi materia sit levis. — 26. Furtum non committitur in pluribus casibus, quamvis aliena surripiantur. — 27. In extrema necessitate quomodo licitum sit auferre rem alienam. — 30. In gravi duntaxat necessitate non est licitum aliena surripere. — 31. Nisi tamen necessitas gravis sit urgens. — 32. Si tota Respublica sit in necessitate gravi, possunt licite auferri a divitibus superflua, quæ necessaria sunt ad Republicam sublevandam. — 33. Qui in extrema necessitate rem alienam abstulit nunquam tenebitur restituere. — 34. Si tamen res accepta in extrema necessitate non sit assumpta, tunc est restituenda. — 35. Qui rem accepit ante extremam necessitatem, et in ea absumpsit, tunc tenebitur restituere in æquivalenti. — 36. Est tamen æque probabilis opposita sententia. — 37. Qui per furta minuta intendit ditescere peccat mortaliter. — 38. Non committit tamen tot distincta furta mortalia. — 39. Qui furatur quid modicum, animo tamen plura furandi, si posset, peccat mortaliter. — 40. Qui furatur materiam levem, quæ cum aliis præcedentibus furtis complet materiam gravem, si habet voluntatem eam cum aliis retinendi, peccat graviter ratione injustæ detentionis. — 41. Non quidem sub mortali tenetur restituere totam illam summam, sed solum illam partem, quæ constituit quantitatem notabilem. — 42 ad 45. Duæ instantiæ. — 44. Peccat graviter, qui post levia furta, quæ non potest restituere, addit aliud leve, quo compleatur quantitas gravis. — 45. Si tamen haberet efficacem voluntatem restituendi priora saltem usque ad materiam levem, excusaretur a mortali. — 46 ad 47. Qui semel complevit materiam gravem, et iterum furatur aliud leve, quod cum prioræ materiæ ablata facit unum quomodo peccet. — 48. Furta parva coalescunt, etiamsi fiant in diversis negotiis. — 49. Furta minuta usque ad notabilem summam concretescentia constituunt peccatum mortale cum obligatione restituendi sub mortali, non solum cum fiant ab eodem eidem, sed etiam cum fiant ab eodem diversis Dominis. — 50. Restitutio a talibus furantibus minuta ad diversis Dominis quomodo

(1. Fur et latro aliquando sumuntur tamquam Synonyma, ut in cap. *Suscipimus* 10, de *Homicidio*, ubi textus prius vocat et dicit *latrones*, ibi: «Ingredientes de nocte quidam latrones ad eos» et postea vocat, et dicit, *Fures*, ibi: «Et Fures se solvere niterentur,» et sic ibi notat Abbas in 1. notabil. et in cap. *Interfecisti Furem* 2, de *Homicidio*. in 1. notabil. ubi etiam Marian. Socin. num. 2. Fagnan in cit. cap. *Suscipi-*

exercendos per proprios Ministros, vel illos etiam locare personis sibi benevisis, extra tamen locum immunem: Et Eminen. Archiepiscopus, et D. Nuncius respective ad proprios subditos procedant, ne fraudes committantur, et fraudulentos puniant: ead. Sac. Congr. Immunit. in Neapolitana 10 Martii 1693. lib. 4. *Decr. Vallem.* pag. 30.

facienda. — 51. Furta minuta facta eidem a diversis non moventibus se mutuo, probabilibus non constituunt peccatum mortale in singulis. — 52. Plurimi tamen tenent contrarium. — 53. Sive quis furtis minutis furetur ab eodem, sive a diversis, sive plures ab eodem furentur, ad contrahendum peccatum mortale requiritur major quantitas, quam illa, quæ simul ablata constitueret peccatum mortale. — 54. Item major quantitas requiritur, si plura furta minuta fiant pluribus, quam si uni soli. — 55. Item major requiritur quantitas in furtis factis quando fiunt per majora temporum intervalla. — 56. Furta Domesticorum, Uxorum, etc., sunt vere furta. — 57. Talia Domesticorum furta, ut mortalia sint, regulariter requiritur major materiæ quantitas, quam in furtis Extraneorum. — 58. Hinc contra tales personas Domesticas conceditur tantum Actio rerum amotarum. — 59. Similiter Actio furti non datur contra filios, et servos. — 60. Item Actio furti non datur contra famulos, ac mercenarios apud Dominum degentes, si leviora, et modica furta commiserint. — 61. Secus autem, si eorum furta sint graviora, et nimis multiplicata. — 62. Famuli, Ancillæ, et Operarii apud Dominum degentes ordinarie non peccant graviter surripiendo esculenta, et poculenta communia in usus proprios, nisi forent excessiva. Secus in aliis materiis. — 63. Reliqua de furtis Famulorum, remissive. — 64 ad 65. De furtis parentum et filiorum. — 66. Reliqua de furtis Filiorum, remissive. — 67 ad 68. De furtis mariti et uxoris. — 69. Reliqua de Uxore quoad bona Mariti remissive. — 70. Religiosi surripientes de bonis Monasterii quantitatem notabilem, duplex peccatum mortale incurrunt, unum furti contra justitiam, et aliud proprietatis contra votum paupertatis. — 71. Eadem quantitas requiritur, et sufficit in Religioso ad furtum mortale, et ad mortalem transgressionem Voti paupertatis, quæ sufficit ad furtum mortale secularium, exceptis esculentis, et poculentis. — 72. Res furtivæ inventæ apud Furem a Judice apprehensum, non Fisco, nec Judici, nec Officialibus ejus, sed Domino restitui debent, non obstante consuetudine aut statuto contrariis. — 73. Qui rem alienam alicubi inventam accepit animo retinendi, et Domino comparenti non restituendi, vere furtum facit, et Actione furti tenetur. — 74. Hinc, si aliquam rem invenit, ignorans cujus sit, tenetur de rei domino debite et sufficienter indagare; aliter, si hanc indagacionem omittat, et rem retineat, Furti tenetur. — 75. Reliqua ab hoc n. 75, usque in finem ad n. 96, satis summarie sunt relata in ipsis Decretis a D. Petro Andrea Riccio in sua *Synopsi*, verb. *Fur, Furtum* collectis. — 97. Affertur egregium dictum Catonis de furibus. — 98 ad 104. De pœna furti.

mus num. 2. (2. Aliquando autem Fur et latro sumuntur tamquam quid diversum, ut in cap. *Interfecisti* 2, de *Homicidio*. ibi: «Interfecisti Furem, aut latronem,» ubi, ut vides, textus dicit alternative *furem*, aut *latronem*, ut notat Fagnan. *ibid.* num. 2. (3. Aliquando vero sumuntur sic, ut dicitur latro, qui stat in silvis, ut spoliat transcurrentes, et fur de nocte in domibus, ut in Authent. *Ut nullus Judic.* § penult. collat.

9, et l. 1. Cod. Depos. et notat. Glossa in cap. Cum duobus § Damna, in verb. Subreptum, ff. Pro socio, Fagnan. in cit. cap. Suscepimus num. 3. (4. Aliquando tandem Fur appellatur nocturnus, et latro diurnus ut post Goffred. notat Butrius in cit. cap. Interfecisti num. 6, et Joan. de Anania n. 1, et Cardin. in cit. c. Suscepimus in 1. notabil. (5. Hæc tamen differentia confunditur in l. Itaque § Lex, ff. ad L. Aquil. et in cap. Si perfodiens 3, de Homicidio, ubi Fur appellatur non tantum nocturnus, sed etiam diurnus, ibi: « Si Fur nocturnus, occidatur, si autem diurnus fuerit, » etc. (6. Unde dicendum est, quod Fur proprie appelletur, qui clam furatur, ut in l. 1 ff. de Furtis, nec distinguitur, an noctu, vel interdiu, et ita intelligitur textus in cit. cap. Si perfodiens. Latro vero, qui palam furatur, ut per Doct. in Authent. Sed novo, Cod. Serv. fugit. Florian. in l. 3, in princip. ff. ad L. Aquil. Fagnan. in cit. cap. Suscepimus n. 4.

(7. Furtum dicitur a furvo, id est nigro, eo quod clam, et in obscuro fiat, et plerumque de nocte, ut dicitur in l. 1, in princip. ff. de Furtis. (8. Furtum est occulta et injusta rei alienæ ablatio, invito rationabiliter Domino. Est in re communis apud Theologos; Et concordat textus in l. 1, § final. ff. De furtis, ibi: « Furtum est contractio rei fraudulosa, lucri faciendi gratia, vel ipsius rei, vel etiam usus ejus, possessionisve. » (9. Furti species ordinarie assignantur quinque, nempe Furtum simplex, Sacrilegium, Plagiatum, Peculatus, et Abigeatus. (10. Furtum simplex est, quod in solo furandi actu sine concurrentia alterius delicti consistit. (11. Sacrilegium est, quo Sacrum de Sacro, vel Sacrum de non Sacro, vel non Sacrum de Sacro furtim surripitur, textu expresso in cap. Quisquis 21, caus. 17, q. 3, ibi: « Sacrilegium committitur auferendo Sacrum in Sacro, vel non Sacrum de Sacro, sive Sacrum de non Sacro. » (12. Plagiatum, seu Plagium est, quo quis dolose surripit Hominem sui Juris existentem, vel Servum alienum, sive detineat illum, vel vendat, donet, permutet, vel alio contractu, quo Dominium rerum transfertur, aliis tradat; l. 1 et seq. ff. ad L. Fabiam, de Plagiariis. Hoc crimen, si homo, qui surripitur, est sui juris, non est proprie furtum, quia libera persona sub nullius est dominium; § Item Juris, Instit. de inut. Stipul. Si vero homo, qui surripitur, est sub alterius potestate, vel dominio, tunc est proprie furtum; § Interdum, Instit. de Obl. quæ ex delict. (13. Peculatus est, quo quis pecuniam ad ærarium publicum, aut Fiscum Principis pertinentem, seu Communitatis bona publica in suos usus privatos convertit; l. 1, l. Lege 4, in prin. et § fin. L. Sacrilegi § Labeo, ff. ad L. Jul. Pecul. et § 9. Instit. de pub. Jud. (14. Abigeatus est fraudulenta Ovium, Bovum, Equorum, et aliorum id genus pecorum ex pascuis, aut armentis subtractio, et quodammodo deprædatio; l. 1, § 1, ff. de Abigeis. (15. Dicitur autem notanter ex pascuis, aut armentis, quia, si quis oves errantes, vel equos in so-

litudine relictos abduxerit, non est Abigeus, sed fur potius: cit. l. 1, § 1, ff. de Abigeis, l. 47, tit. 14. Sic etiam notanter dicitur subtractio, et quodammodo deprædatio; quia ad hoc, ut quis dicatur Abigeus non sufficit, quod subtrahat, seu surripiat unam ovem, aut unum equum, vel unum bovem, sed requiritur quod plures surripiat, et quodammodo deprædetur. Abigeus enim non est sed simplex fur, qui de grege Ovium minus quam decem, et de grege porcorum minus quam quinque abducit, textu expresso in l. fin. ff. de Furtis.

(16. Addunt aliqui sextam Furti speciem, nempe Rapinam, sed cum Furtum et Rapina specie differant, ut docet communissima DD. cum S. Thoma 2-2. qu. 66, art. 4, non recte hæc illius species constituitur. Ratio autem distinctionis specificæ inter furtum et rapinam est, quia præter injustitiam facti, scilicet injustam usurpationem rei alienæ, rapina continet aliam speciem injustitiæ, circa personam, et honorem proximi. Vim enim alicui inferre est species contumeliæ lædenti honorem proximi. Sic recte notat S. Thomas loc. cit. art. 9, et cum ipso alii passim Doctores. (17. Unde rapina deñiri potest, quod sit injusta ablatio, seu contractio rei alienæ externæ cum vi facta Domino, vel legitimo detentori: Est in re communis.

(18. Furtum et rapina ex genere suo est peccatum mortale, licet quandoque parvitas rei furto ablata excuset a mortali: Est Communis, et patet ex cap. 20. Exod. ibi: Non furtum facies; ex cap. 5. Zacharia, ibi: Hæc est maledictio, quæ egredietur super faciem omnis terræ, quia omnis fur... judicabitur; ex c. 2. Habacuc, ibi: Væ ei, qui multiplicat non sua; et ex 1 ad Corinth. c. 6. Ibi: Neque fures, neque rapaces... regnum Dei possidebunt. (19. Nec valet objicere, quod Proverb. 6 expresse habetur, quod: Non grandis est culpa, cum quis furatus fuerit. Non valet, inquam, quia, ut recte exponit V. Beda: « Furtum non ex sui æstimatione, sed ex comparatione peccati majoris, id est adulterii, non grandis esse culpa perhibetur. » Revera enim furtum ex genere et objecto suo est peccatum levius omnibus aliis peccatis in Decalogo prohibitis, cæteris paribus, et hoc clare patet, quia peccata contra præcepta primæ tabulæ, cum versentur circa ipsum Deum, ejusque cultum, utique sunt graviora furto versante circa hominem tantum. Alia autem peccata contra præcepta secundæ tabulæ, cum versentur aut circa proximi personam, aut bonum vitæ, famæ, honoris, sunt etiam ex genere suo, cæteris paribus, graviora furto versante circa bona externæ fortunæ proximi, quæ sunt longe inferioris ordinis, ut de se patet, et ut recte notat Sporer tom. 2, tract. 5, in 7 et 10 Præcept. Decalog. c. 5, n. 21.

(20. Quenam quantitas materiæ furtivæ requiratur et sufficiat ad peccatum mortale, non potest una certa et determinata taxari, sed taxanda est arbitrio Prudentum, tum ex quantitate rei ablata, tum ex circumstantiis

Personæ per furtum læsæ, temporis, loci, et hujusmodi. Malitia enim, et gravitas furti provenit ex damno, quod Proximo injuste infertur, damnum autem non est æquale respectu omnium, ex jactura ejusdem quantitatis, ac rei: Siquidem Majus censetur damnum ex re ablata, si auferatur pauperi, minus si diviti: majus, si tempore penuriæ, minus si tempore abundantia; majus, si auferatur pecunia in loco, ubi modica reperitur, minus, ubi argentum et aurum est in abundantia. (21. Unde cum in assignanda quantitate sufficienti ad constituendum peccatum mortale non satis inter se conveniant Doctores, ita ut propemodum tot sint sententiæ, quot capita, assignando alii, ut Navarrus, nimis stricte solum dimidium Regalem, vel Julium, seu unum Pacium, vel paulo plus; alii cum Corduba unum Regalem, scilicet duos Pacios circiter; alii cum Molina, Rebell., Lessio, duos Regales, id est quatuor, vel quinque Pacios, seu duos Julios: alii cum Valentia, Sayro, tres Regales, vel Julios, id est medium Florenum circiter; alii cum Sanchez quatuor Regales, id est medium Talarum, vel unum Florenum circiter; alii cum Soto, Silvestro, Angelo, unum, vel duos Aureos, seu Ducatos; alii tandem nimis laxè 100. Aureos (22. Hinc in tanta opinionum varietate tenenda est probabilior, et communior Doctorum sententia, quod non possit pro regula universalis statui una certa quantitas pecuniæ, quæ sit materia absolute gravis, sive quæ ad mortale requiratur et sufficiat respectu omnium, sed taxanda sit judicio prudentum tam ex quantitate rei ablata, quam ex circumstantiis personæ cui auferitur, temporis, loci, et hujusmodi; Reiffenstuel in Theolog. moral. tract. 9, de Præcept. Decalog. dist. 5, quæst. 1, num. 7. Sporer loc. cit. num. 28. Moya tom. 3, dist. 3, quæst. 3, c. 1, § 2. Gormaz a num. 693. La Croix lib. 3, part. 1, num. 983 et seq. et alii passim.

(23. Quantitas igitur furti respective gravis potest sic esse, ut respectu cujuscumque etiam ditissimi Regis sint duo Aurei, seu duo Ducati, pro quibus veniunt quatuor Imperiales, seu sexdecim Regales, aut sexdecim Julii, seu quadraginta octo Pacii, vel circiter centum sexaginta Crucigeri; respectu inferioris Principis unus Aureus, seu unus Ducatus, aut duo Imperiales, vel quatuor Floreni, seu sexdecim Regales, aut Julii; respectu viri perillustri, aut mercatoris valde divitis unus Imperialis, seu duo Floreni, aut octo Regales, vel Julii, aut viginti quatuor Pacii; respectu Mercatoris mediocriter divitis medius Imperialis, seu medius Talarus, vel unus Florenus, aut quatuor Regales, seu quatuor Julii; respectu Civis mechanici tertia pars Imperialis, seu Talari, aut octo Pacii; respectu tenuioris civis, vel Rustici duo Regales, seu duo Julii, aut sex Pacii; respectu hominis utcumque pauperis unus Regalis, et dimidius, seu unus et dimidius Julius, seu quatuor Pacii, et dimidius, respectu plane pauperis etiam unus Regalis, seu

unicus Julius, aut tres Pacii, vel decem circiter Crucigeri, et sic de omnibus intermediis loquendum est cum proportione. Ratio autem hæc est, quia dicta taxata quantitas videtur requiri et sufficere respective ad singulorum sustentationem pro integra die, adeoque per ejus ablationem censebuntur pati grave damnum, et esse graviter invitati, merito enim ab omnibus multum æstimatur posse pro una die honeste subsistere, et cui hoc tollitur, vere redditur miserabilis pro illa die, et per consequens censetur illi dari causa gravis contristationis, et dissolvendæ amicitia, quod secundum communem sensum est gravis injuria. (24. Hinc materia gravis furti, et quantitas sufficiens ad peccatum mortale censetur probabiliter ea, quæ ad congruam sustentationem unius diei sufficit illi homini, cui injuria furti infertur; Sanig. dist. 10, de Justitia, quæst. 1, num. 7. Layman, lib. 3, tract. 3, part. 2, cap. 1, n. 3. Sporer, loc. cit. n. 29. Reiffenstuel, loc. cit. n. 9. Gormaz, n. 699. La Croix, loc. cit. n. 983, cum sequentibus, et in re consentiunt alii, speciatim Illsug, tom. 4, d. 3, n. 147. Marchant. Tribun. part. 2, tract. 8, tit. 1, quæst. 5, et re ipsa fere coincidunt Bonacina, Petrus Navarrus, et alii cum Lugo disp. 16, sect. 1.

(25. Furtum potest esse grave peccatum in pluribus casibus, etiamsi materia furata in se sit levis. Primo, si materia furata sit Domino valde proficua, ut sartori acus, quam unicam habet, nec habere aliam potest, qua se alat; Lessius, lib. 2, cap. 12, n. 33, et communis aliorum. Secundo, si in furando rem levem fuerit intentio furandi notabilem quantitatem, si adfuisset copia, et commoditas; Communis. Tertio, si materia levis fuerit furata in finem mortaliter peccaminosum; Communis. Quarto, si materia levis furetur Domino valde pauperi et indigenti; Communis. Quinto, si Dominus habuerit justum et rationabilem quemdam speciale affectum ad talem rem, ob cujus ablationem periculum sit, ne tanquam nimis iracundus prorumpat in mortales blasphemias, seu alias colerice mortaliter peccet, dummodo tamen fur ante furtum habuerit sufficientem cognitionem de tali speciali affectu et periculo; Communis. Sexto, si res auferatur cum notabili violentia; Communis.

(26. Furtum non committitur in pluribus casibus, quamvis aliena surripiantur. Primo, non committitur, cum quis auferat rem alterius sciens illum, etiamsi scit, non tamen debere esse invitum rationabiliter; Communis. Secundo, non committitur furtum, cum quis auferat aliena, ipso Deo supremo rerum omnium Domino facultatem dante, qua ratione Israelitæ spoliarunt Ægyptios; Communis. Tertio, non committitur, cum quis auferat gladium a furioso, vel alias occisuro; Communis. Quarto non committitur, cum quis auferat libros hæreticos a non habente legendi facultatem; Communis. Quinto non committitur, cum uxor v. g. auferat a Marito pecunias, ne ludis aut comessionibus prodigat, aut Vinum, ne inebrietur; Com-

munis. Sexto non committitur, cum quis accipit rem alienam, tamquam sibi debitam ob justam compensationem; Communis. Septimo non committitur, cum quis pro se, vel pro alio in extrema necessitate constituto alienum accipit, quantum necessarium est ad sustentationem. Sed de hoc infra. In his enim et similibus casibus Dominus esset irrationabiliter invitus rem talem auferri. Sic communis Doctorum (1).

(27. In extrema necessitate licitum est auferre rem alienam, quatenus ad eam sublevandam necesse est, adeo ut talis neque furtum committat, neque peccet; Communis cum S. Th. 2, 2, qu. 66, art. 7. Scotus in 4, d. 13, qu. 2, ad 3, habetur Ex cap. Exiit § *Nec quidquam*, de verb. signific. in 6, ibi: «Nec jure poli in extremæ necessitatis articulo ad providendum sustentationi naturæ via omnibus extrema necessitate detentis concessa præcluditur, cum ab omni lege extrema necessitas sit exempta.» Et ratio est, quia in extrema necessitate constitutus habet jus naturale, immo et obligationem conservandi vitam, adeoque etiam sibi applicandi media necessaria; neque per hoc furatur, quia ille, cui surripit, non est, nec potest esse rationabiliter invitus: quia in extrema necessitate omnia sunt communia quoad jus utendi in ordine ad conservationem vitæ; de ratione autem formali furti est, quod fiat Domino rationabiliter invito, ut patet ex ejus definitione. Unde cum Dominus in tali extrema necessitate nequeat esse rationabiliter invitus, talis surripiciens bona alterius non dicitur furari, uti notant communiter Doctores cum S. Thoma 2, 2, qu. 63, art. 5. (28. In extrema necessitate si quis non possit per se ipsum aliena auferre ad sibi subveniendum, potest ejus loco quivis alius ex proprio subvenire non potens, uti habet communis cum D. Thoma 2, 2, qu. 66, artic. 7, ad 3, et Scotus loc. cit. (29. Tunc enim surripiciens est veluti instrumentum indigentis. Si Dominus, aut detinens bona sit in pari necessitate, non potest extreme egens, neque alius pro se surripere ipsi Domino, aut detinenti, quia tunc duplici jure res illa Domino aut detinenti debetur, primo propter æqualem extremam necessitatem, secundo propter dominium, et possessionem rei; in pari enim causa melior est conditio possidentis. Sic Scotus in 4, d. 13, qu. 2, ad 3, et Communis aliorum.

(30. In gravi dumtaxat necessitate non esse licitum aliena surripere, colligitur ex cap. *Si quis 3, de Furtis*, ibi: «Si quis propter necessitatem famis, aut nuditatis furatus fuerit cibaria, vestem, pecus, pœniteat hebdomadas tres,» ubi, ut vides, famis et nuditas supponunt surripientis necessitatem, et quidem valde gravem, unde si hac necessitate non obstante talis surripiciens censetur pœnitentia dignus, cum pœnitentia supponat peccatum, censetur non excu-

(1) Vera Auctor scribit; cave vero, ne putes retinere res illas hominem posse, nec ad restitutionem vel compensationem teneri, jam remoto peri-

sari a furto peccaminoso. Hinc justissime ab Innocen. XI, die 2 Martii 1679, fuit damnata sequens propositio 26, in ordine, ibi: «Permissum est furari non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi;» Ita conformiter Doctori Subtili l. c. Mastrius disp. 9, *Theolog. moral.* n. 21, appellans hanc sententiam communiorem, et veriorem, et Sporer loc. cit. n. 103, vocans eam verissimam; La Croix loc. cit. num. 933, et alii passim, quamvis nonnulli apud Lugonem disput. 26, de *Justit. et jure* n. 153. Dianam part. 1, tract. 3, *Miscellan.* resol. 29, et apud Sporer l. c. num. 104, oppositam sententiam probabilem censuerint. (31. Si tamen necessitas gravis sit urgens; adeo ut adsit simul periculum labendi in necessitatem extremam, ut si morbus gravis probabiliter sit futurus lethalis, aut perpetuus, nisi remedio tempestivo ei occurratur; si quis sit in probabili periculo incidendi in captivitatem, vel infamiam gravissimam, nisi equo alieno adjutus elabatur, et his similia: tunc licitum est surripere necessaria ad illam necessitatem sublevandam, quia tunc censetur extrema esse moraliter præsens, cum sit proxima, aut hæc sit illi æquivalens; pari enim modo naturæ jure inditum est, ut gravem necessitatem, quæ facile vergit ad extremam, æque ac ipsam extremam necessitatem, a se quisque, quoquo modo potest, avertat; Lugo loc. cit. num. 134. Lessius num. 71. Sporer loc. cit. num. 103. Haunold. de *Justitia* tom. 1, tract. 2, a num. 347. Carden. in 2 *Crisi.* d. 23, num. 17, et fuscus in 1 *Crisi.* d. 80. La Croix loco citat. numer. 937. Tamburin. lib. 8, tr. 2, cap. 9, § 1, ubi dicit hanc sententiam esse certam.

(32. Si tota Respublica sit in necessitate gravi, possunt licite auferri a divitibus superflua, quæ necessaria sunt ad Rempublicam sublevandam, et ratio est, quia necessitas gravis Reipublicæ æquivaleret, immo superat necessitatem quam haberet unus privatus, uti cum S. Thoma et aliis docet Carden. loc. cit. num. 16. La Croix l. cit. n. 936.

(33. Qui in extrema necessitate rem alienam abstulit, et pro sua indigentia absumpsit, quamvis postea ad meliorem et pinguiorem fortunam devenerit, numquam tenebitur restituere. Sic Scotus in 4, dist. 13, qu. 2, et communis aliorum. Et ratio est, quia is usus fuit jure suo, et rei tunc acceptæ, quatenus sibi necessaria fuit, dominium sibi comparavit, cum res illa per talem justam acceptionem facta sit accipientis, ut patet ex D. Thoma 2, 2, qu. 66, art. 7, et ex communi aliorum. (34. Si autem res accepta in extrema necessitate non sit absumpta, sed adhuc existat, ut equus, vestis, et hujusmodi, tunc est restituenda; Communis. Et ratio est, quia extrema necessitas tribuit solum tantum Juris in rem alterius, quantum necessarium est ad illam sublevandam. In proposito autem non erat necessaria res adhuc

culo, vel sublata necessitate. Vide explicationes aliis in locis. (NOTA ROM. THEOL.)

existens, sed solum ejus usus, adeoque extreme egens occupando illam, solum comparavit sibi dominium utile illius rei, dominio directo adhuc remanente penes pristinum Dominum, et per consequens res adhuc existens post superatam necessitatem erit restituenda Domino. (35. Qui rem accepit ante extremam necessitatem, sive ex delicto, v. g. furto, sive ex contractu, v. g. Deposito, Commodato, Locato, vel quovis alio titulo, et in extrema necessitate absumpsit, tunc superata necessitate si ad meliorem fortunam redierit, tenebitur restituere in æquivalenti; Ita Scotus in 4, dist. 13, qu. 2, art. 3, respons. ad argum. Adrian. in 3 de *Restitution.* § *Quia dictum est, de Lucro*; Navarr. cap. 17, num. 61. Covarruv. *regul. Peccatum*, part. 8, § 1, num. 4. Medina, *C. de Restit.* num. 3, in princip. Less. lib. 2, c. 16, aliique cum Sporer, loc. cit. num. 101. Et ratio est, quia tunc egenus rem illam, exclusam necessitate, alio titulo debet Domino suo, quæ obligatio per supervenientem necessitatem extremam non extinguitur, sed sopitur, adeo ut superata necessitate, Domino compensanda est æque ac antea compensari debuisset, maxime si antea res fuerit furto ablata; aliter si res antea furto ablata, et postea in extrema necessitate absumpta non deberet restitui, superata necessitate, ab eo, qui eam ante dictam necessitatem furatus fuerat, sequeretur, quod quis posset commodum reportare ex sua malitia; malitia autem et iniquitas nulli debet prodesse, arg. cap. *Sedes 13*, et cap. *Ex tenore 16, de Rescriptis*; cap. *Tua 12, de Clericis non resident.*; cap. *Ex litteris 2, de Dolo et contum.*, et aliis similibus.

(36. Est tamen æque probabilis, immo teste Sporer, loc. cit. num. 102, jam communior opposita sententia (1), quod nempe, qui rem ablatam, vel apud se depositam, commodatam, impignoratam, locatam, etc. urgente necessitate extrema absumpsit, nihil restituere debet, postquam ad meliorem fortunam pervenit, sic expresse Angelus, verb. *Furtum*. § 37. Silvester, verb. *Furtum*, qu. 3, et verb. *Eleemosyna*, in fine; Jul. Clar. l. 5, § *Furtum*, n. 25. Layman, l. 3, tract. 3, p. 1, c. 1, n. 7. Sporer, l. c. n. 102, et alii. Et ratio est, quia qui rem alienam bona fide absumpsit, liberatur ab honore restitutionis, ut fert communis opinio; talis autem in extrema necessitate, nedum bona fide rem alienam, sed immo tanquam Dominus ejus effectus, et suam reputans, absumpsit, adeoque non tenetur pro ea ad restitutionem. Neque ei patrocinator iniquitas, si rem antea furatus fuit, sed superveniens extrema necessitas, ad quam sublevandam, sicuti potest de præsentibus auferre rem alienam, et ipsam absumere sine ullo onere restitutionis, ita sine onere restitutionis potest absumere rem alienam de præterito ablatam.

(37. Qui per furta minuta intendit ditescere, et conquirere notabilem pecuniæ quantitatem, peccat mortaliter illa prava intentione,

(1) Vide not. ad verb. *Eleemosyna*.

quovis externo furto minute ex vi illius intentionis deliberatæ procedente; Communis. Et ratio est, quia talis intendit accipere rem alienam magni momenti invito Domino, simulque singula externa furta procedunt ex intentione mortifera furandi seorsim quantitatem notabilem, adeoque talis singulis furtis minutis peccat mortaliter; Hinc de similibus dicitur *Deuteron. xxv: Non habebis in sacco diversa pondera majus et minus... Abominatur enim Deus eum qui facit hoc, et Proverb. xi: Statera dolosa abominabilis est apud Deum.* (38. Recte tamen notant Lessius lib. 2, de *Justitia* cap. 12, dub. 7, num. 48. Sporer loc. cit. num. 35, et alii, non committi tot distincta furta mortalia, quot sunt furta minuta, sed continuari solum jam cœptum, quia omnia furta minuta et detentiones acceptorum censentur una continua executio mortalis illius intentionis. Quod etiam in furtis gravibus repetitis et sub una intentione unitis usu venit. (39. Qui furatur quid modicum, animo tamen, et voluntate plura furandi, si posset, peccat mortaliter; Communis ac certa. Et ratio est, quia talis, quantum est ex se, si adesset copia, et commoditas, habet pravam voluntatem et affectum furandi quantitatem notabilem, adeoque peccat graviter ratione talis pravæ et mortiferæ voluntatis et affectus. Unde recte monet Layman loc. cit. num. 3, esse a Confessariis examinandos illos pœnitentes, qui confitentur modicum quid esse furatos, an habuerint voluntatem et affectum plura furandi, si adfuisset copia, et commoditas.

(40. Qui furatur materiam levem, quæ cum aliis præcedentibus furtis complet materiam gravem, si habet voluntatem eam cum aliis retinendi, peccat graviter ratione injustæ gravis detentionis, quia licet priora præcedentia furta minuta quoad ablationem fuerint solum venialia, tamen accrescente materia complente quantitatem sufficientem ad mortale, ratione injustæ detentionis exsurget peccatum mortale, et obligatio restituendi sub mortali. Et ratio est, quia illud opus, quo injustum grave damnnum proximi completur, mortale est; per illud autem ultimum furtum, quo quis advertit se pervenire ad summam gravem, v. g. furandum ultimum Pacium, vel ultimum Regalem, seu ultimum Julium completum Talarum, vel Imperialem, seu ducatum, respective completur grave damnnum proximi, adeoque illud ultimum furtum unius Pacii, Regalis, seu Julii, mortale est, non quidem secundum se absolute, sed cum habitudine ad furta præcedentia consideratum. Unde talis secundum omnes sub mortali tenetur restituere summam notabilem furtis minutis congregatam; Sporer loc. cit. num. 37, et 40. Cardenas in 2. *Crisi.* d. 23, num. 90. La Croix lib. 3, part. 2, num. 244, et ipso teste alii communissime. Hinc Innocent. XI, die 2 Martii 1679, merito damnavit sequentem propositionem 38. ir ordine